

PROBLEMATVM
PHILOSOPHICORVM

Disputatio XII.

*In inclyta VVittebergensi Academia
publicè propofita.*

PRAESIDE

Clarifimo, acutifimoq; Philofopho

M. IACOBO MARTINI,
Halberftad. Log. Prof. Pub.

RESPONDENTE

BALTHASARE FHURMANNO, VVitebergâ Saxone.

Ad diem 10. Martij

horis locòque confuetis.



VVITTEBERGAE.

Ex officina Typographica Laurentij Seuberlichij,
Impensis Pauli Helvvigii, Bibliopolæ.

ANNO 1610.

PROBLEMA I.

Logicum.

*Qua sit necessitas Logica particularis
seu propria?*



Univerſa † Logica Ariſtotelis, quam non 2.
modo perfectam, & omnibus numeris abſolutam,
ſed etiam admirabili ordine diſpoſitam pronun-
ciat Zabarella lib. 2. de nat. Log. c. 1. commo-
de in duas partes dividitur; quarum priorem Univerſalem
ſeu Communem, poſterioreſ propriam ſeu particularem no-
minat Averroës in præparatione in lib. 1. poſt.

Pars † communis tribus libris, κατηγοριῶν, πρῶτης γενεᾶς, 2.
& ἀπὸ τῶν ἀναλυτικῶν abſolvitur; diciturq; communis, quia
de Syllogiſmo latiffimè ſumpto, deq; omnibus ejus ſpeciebus
materie expertibus diſſerit.

Pars † propria libris ὑστέρων ἀναλυτικῶν, τοπικῶν, & 3.
εὐφαιστικῶν ἐλέγχων comprehenditur; & nuncupatur propria,
quia de Syllogiſmo ad materiam ſive probabiliter, ſive neceſ-
ſario, ſive manifeſto veram vel falſam contracto agit. Logi-
cus enim, ut loquitur Scaliger exerc. 1. ſect. 3. ſeorſum ſe-
cundum materias partitur diſputationes.

Breviter. † Prior pars ipſiſſimam & ſimplicem formam, 4.
quomodo & ex quibus debeat conſtrui Syllogiſmus: Poſterior
materiam, & quomodo forma in quamvis materiam impri-
mi debeat, explicat.

De communi † parte jam nemini licet movebimus, ne. 5.

cessitatem partis propria inquirere & excutere in presentia nobis est animus. De ista enim non immerito propter sequentem rationem dubitare poterit. Cum enim manifestum sit ex premis disputationibus, finem totius Logica dirigere ad cognitionem & distinctionem veri à falso, cuius nullum aliud possit afferri instrumentum, quam ratiocinatio seu syllogismus. De eo cum jam satis simus edocti in prioribus analyticis, omnes enim tres operationes nostri intellectus apprehensio simplicium, compositio ac divisio, & tota ratiocinandi ac quovis modo discurrendi facultas in iisdem perfectè est tradita, & consequenter quoque Logica assequuta finem suum & perfectè videtur; proptereaque nulla appareat necessitas partis propriae adijciendae.

6. Verum respondemus cum eruditissimo Philosopho Zabarella lib. 2. de nat. Log. c. 8. concedendo in communi partem sufficientem formae syllogisticae structuram fuisse traditam, sed exinde non sequi, partem propriam esse inutilem, minimeque necessariam. Forma enim syllogistica non sufficit ad cognitionem rerum consequendam. Agitur in prioribus analyticis de syllogismo, tanquam instrumento, quo ad discretionem veri à falso utamur; verum admodum rudi adhuc inexplorato, & ad hunc usum vel hunc finem non satis apto & idoneo. Itaque cum ratio syllogismi non ex cognitione tantum, sed ex operatione potius & usu sumenda sit, quia nulla & simplici illi syllogismi formam nunquam utimur, sed semper in aliqua materia, ac alicujus finis gratia formamus syllogismum; cumque omnes libri Logici ad duos posteriores tanquam ad finem & scopum dirigantur, Zabarella lib. 1. post. an. operatur ut syllogismus in sequentibus libris magis elaboretur, explorariatur, & ad quemlibet usum aptior & accommodatior reddatur. Cumque diversi sint fines ac scopi ratiocinantium & quilibet circa aliam materiam sit occupatus, alio enim sine
estitum

utitur syllogismo Sophista, alio Dialecticus, alio itidem Demonstrator, dico sodes, unde discendum putes, quæ materia ad hunc scopum attingendum requiratur, & quæ ad illum? Certè ex nulla alia disciplina, quàm ex Logica, nisi alteram aliquam scientiam sua dignitate privare, ea q̃, pro instrumento uti velis.

Hac igitur est ratio, ob quam sequentes libri ab Aristotele fuerunt adjiciendi, qui q̃, meritiè ab ejus interpretationibus retinentur.

Sed & contra hanc assertionem nostram posset aliquis obijcere, falsum videri id, quod diximus, Logicum versari non tantum circa formam syllogisticam, sed etiam docere, quomodo forma ista in quavis materia ute debeamus, Logicus enim quatenus Logicus nullum syllogismum fabricat, sed modum tantummodo eundem fabricandi tradit; imò si quis tradita illi forma syllogistica utatur in scientia naturali vel mathematica, tunc syllogismum illum non amplius dicendum esse instrumentum logicum, sed syllogismum physicum vel mathematicum: Proinde omnem materiae respectum, ex agro logico proscribendum & exterminandum esse.

Verum & non negamus syllogismum, quo in scientiis utimur, non esse instrumentum logicum, sed idem potius cum Zabarella lib. 1. de nat. Log. c. 5. & comm. in lib. 1. post. anal. cap. 1. affirmamus; At exinde sequi partem propriam, quæ syllogismum materia immersum considerat, non esse necessarium pernegamus. Qui enim formam syllogisticam ad verum cognitionem sufficere affirmant, similes sunt medicis illis circumforaneis, qui omnis generis morbis uno collyrio semederi posse proclamant.

Proinde & debebant distinguere in fabricationem instrumenti & ejusdem usum. Fabricationem instrumenti in logicis tibi concedo, usum denego. Fabricatio instrumenti
A 3
logica

Logica ab ejusdem doctrina non est disjuncta. Quando enim logicam discimus, generatur in animo nostro habitus logicus, qui nihil est aliud, quam instrumenti fabricatio; quando vero instrumentum hoc in aliis disciplinis applico, tunc non est dicendum instrumentum Logicum, sed jam degeneravit in usum. Hanc rem eruditissime explicatam, & exemplis luculentissime declaratam vide apud Zabarel. lib. 2. de nat. Log. cap. 7. 8. & seqq. Crellium in libr. de parta Logices communi.

PROBLEMA II.

Metaphysicum.

Utrum ratio Entis transcendat omnes rationes & differentias entium, ita ut in eis intumè & essentialiter includatur?

1. Controversia & hæc agitata fuit inter Scotum & Thomam, hodieq. ab utriusq. defensoribus acriter propugnatur.
2. Scotus & cum suis asseclis 1. sent. di. 3. quæst. 3. Ens quidem de omnibus rebus quidditati vè predicari affirmat, sed de earum differentiis negat. Priori parte cum Thoma consentis posteriori minime: ejusq. rationes fundantur præcipue in ipsius distinctione inter differentias ultimas & non ultimas.
3. Hic & statim, quid per differentias ultimas & non ultimas Scotus intellectum velit, considerandum est, juxta vetus illud: *πῶς το ὁπλὸς διδασκῶν δὲ πῶτος ἐστὶν αὐτὸν ἐνοῦατα*; nisi enim quid nominis sit probè cognitum, perspectumq. habeamus, quid res nominibus seu terminis istis explicata sit, nunquam satis assequemur. Itaq. differentiam ultimam eam appellat, quæ sumitur ab ultima realitate formæ.

forma, quam Fonseca lib. 4. c. 5. quaest. 3. ultimum gradum
entitatis forma nominat. Differentiam autem non ultimam
appellat, quae sumitur à tota forma.

Jam igitur colligit: I. Si Ens dicitur de differentiis
ultimis, utiq; licebit concludere ultimas differentias esse diffe-
rentes. Si sunt differentes, utiq; different per alias differen-
tias. De istis quæro an Ens dicatur in quid nec ne? Si affir-
matur, alterius quæro, quibusnā hæ differant. & similiter de
aliis atq; aliis, & sic prolaberemur in infinitū. Si verò negatur
necesse est ut tandem deveniamus ad aliquas differentias, quæ
per se differant ab aliis rebus vel conceptibus omnibus, ut ne-
que in conceptu Entis cum illis conveniant, & consequenter
intrinsecè & quidditative Ens non includant: nam si in ra-
tione Entis cum aliis convenirent, jam alia differentia, quæ
differrent, indigerent: Rectè siquidem Aristoteles dicit
5. Met. c. 9. & 10. met. c. 5. quod ea quæ inter se conveni-
unt, differentiis differunt.

II. Sicut in physicis omne Ens componitur ex forma &
& materia, & in hac compositione tandem devenimus ad for-
mam ultimam, quæ nihil materia, & ad ultimam materiam,
quæ nihil forma includat. Sic in Metaphysicis conceptus
componitur ex determinabili & determinante, qui resolvi-
tur in Ens, ut in conceptum ultimum ex determinabili, &
hic omnem determinantem, & in ultimam differentiā, ut in
conceptum determinantē, hic q; omnem determinabilem exclu-
dit. E. cum Ens nihil ultima differētia, neq; hac quicquā En-
tis includat, non poterit Ens predicari de ultimis differētiis.

Hæ sunt rationes Scoti præcipuæ. Thomas contrà af-
firmativam partem æsendens asserit Ens predicari de omni-
bus rebus, de q; omnibus earum differentiis, cujus sententia
ut probabiliori & veriori nos quoq; subscribimus. Rationes
enim Thomas adducit sequentes duas.

I. Si Ens

7. I. Si $\dagger$ Ens de differentiis (nam de ipsis entibus nemo dubitat) quibus ultimo constituuntur, & inter se discernuntur entia, non predicatur quidditative, sequitur aut ea, quae ex his constituuntur, & inter se discernuntur, non esse entia, aut non reale constituere essentialiter reale. Neutrum autem dici potest: pari enim absurditate laboraret cum illo, si quis substantiam ex non substantia componi affirmet; id quod Aristoteles 1. Phys. cap. 6. aperte negat, omnesq. absurdisimum fatentur.

8. II. Ens $\dagger$ est universalissimum predicatum, Ergo superius ad ultimas differentias. E. de ipsis predicatur, nam omne superius predicatur de singulis sub eo contentis.

9. Jam $\dagger$ ad argumenta responsuri, primo omnium quaedam distinctiones praemittenda veniunt, quae ad rem declarandam non parum facere videntur. Prima est: nos neq. de Ente univoco, neq. equivoco, sed solo analogico loqui. Non de univoco, quia (ut omittamus alias rationes) solus Deus est Ens necessarium, in quo Ens & essentia ab ipsa divina existentia non distinguuntur: De creaturis vero Ens non dicitur necessario, cum omnes create res esse & non esse possint. Scalig. exerc. 307. sect. 20. Non de Aequivoco, sequeretur enim inferiora Entia nihil praeter nomen de Ente participare, nec quicquam commune habere de definitione Entis essentiali. Relinquitur igitur solum Ens analogicum, quod singulis entibus tribuitur $\tau\acute{o}\varsigma \epsilon\nu \kappa\alpha\iota \pi\acute{\alpha}\nu \psi\upsilon\chi\alpha\iota$, ut loquitur Philosophus lib. 4. met. cap. 2. Secunda est, nobis in hac questione sermonem non esse de ente rationis, aut ficto aut chimerico vel imaginario, sed de Ente vero & reali. Tertia est; nos non uti vocabulo Entis pro participio deducto a verbosum, qua significatione actum essendi denotat exercitum, idemq. est quod actu existens: sed pro nomine de formali essentia eius rei significante, quae esse vel habet, vel habere

habere potest, quo pacto significat ipsam esse non ut exerci-
tum actum, sed in potentia vel aptitudine.

His $\dagger$ distinctionibus observatis, argumenta contraria ^{10.}
allata, & quae his addi possunt, facile & sine negotio dissol-
vuntur atq; enervantur. Et primum ad distinctionem Scoti
inter differentias ultimas & non ultimas quod attinet, eam
prorsus rejicimus, vel propter unicam hanc rationem, quia
nulla est differentia, quae à tota forma sumatur, sed omnes
ex ejusdem gradibus promanant. Omne enim compositum cum
alio convenit in forma, & tamen secundum hanc convenien-
tiam ab eadem quoq; differt. E. sequitur differentiam istam
non fluere à tota forma, sed ab ejusdem aliquo gradu.

Ad rationum $\dagger$ igitur Scoti primam respondemus, ea, ^{11.}
quae per analogiam quandam inter se conveniunt, non neces-
sario per aliud distingui. Una enim differentia potest esse di-
versa ab alia etiamsi in communi Entis ratione conveniant:
nam & ipsa decem rerum genera inter se sunt diversa, licet
eundem ad Ens omnia obtineant respectum.

Posterioris $\dagger$ rationis consequentiam iterum negamus: ^{12.}
Non enim sequitur: In Physicis materia prima non est de es-
sentia ultime formae, nec contra: E. in Metaphysicis quod se
habet instar materiae primae non erit de essentia ultime dif-
ferentiae, quae se habet ut ultima forma. In entibus quidem
possunt dari duo simpliciter simplicia, sed non in conceptibus.
Plura qui desiderat, consulat Franc. Suarez disp. 2. de es-
sentia Entis, sect. 5. Fonseca in lib. 4. met. Aristor. c. 2.
quæst. 3. Ægidium Romanum in eundem lib. Aristotelis
cap. 2. quæst. 2. Chrysost. Iavellum lib. 4. met. cap. 5.

PROBLEMA III.

Physicum.

B

Quomo-

Quomodo scientia naturalis rectè definiatur ac dividatur?

1. *Missa* † *Metaphysica consequens est, ut pedem moveamus ad Physicam, quā ex omnibus scientiis nullam vel antiquitate clariorem, vel dignitate superiorem (si nempe Theologiam excipias) nullam cognitione jucundiorē, nullam deniq. utiliorē pronunciat Bodinus in præfatione Theatri naturæ. Ad hanc enim addiscendam sola suavisima jucunditas & honesta voluptas, quæ suos cultores efficit, singulos allicere debebat, ut jam necessitatem & utilitatem, quam ad superiorum facultatum scientiam pleniorē consequendam confert, siccope pede prætereamus. Quocirca quid nobilissima, utilissima & jucundissima ista scientia sit, & quomodo rectè dividatur in præsentia disquiremus, quod quoniam commodius fieri nequit quàm per definitionem; hæc enim sola quid res sit, explicat, ad definitionem Rhysses accedimus: divisionem illā explicatā, statim subjungitur.*

2. *Definitionem* † *igitur constituimus talem. Physica est scientia contemplatrix, tradens perfectam cognitionem corporum naturalium, quatenus talium.*

3. *Definitum* † *est Physica, quæ vox origine Græca est, & deducitur dōm tis φυσικός, quod naturā significat: Hinc adjectivum est, φυσικός, naturalis: ab hoc φυσική, subintellige ἵκναι, scientia naturalis, quod de rebus naturā prædictis differat. Eadem scientia ab aliis variis insignitur nominibus. A Cicerone lib. 1. de nat. Deor. Physiologia quasi de natura sermo nuncupatur: Lib. 2. de divinat. Natura cognitio: Lib. 3. de fin. Naturæ explicatio: Lib. 1. de Orat. Naturæ obscuritas: Lib. 1. Acad. quæst. Naturæ descriptio: Lib. 1. de Divin. & lib. 1. de nat. Deor. Naturæ ratio nominatur. Aliàs etiam Philosophia naturalis, quia de rebus natura.*

naturalibus Philosophatur; Philosophia secunda, ad differen-
tiam primæ, quæ est Metaphysica, 6. met. cap. 1. Et ars na-
ture, propterea quòd eam explicet, indigitari solet. Vsi-
tatissima autem est appellatio Physices, quam non sumimus
generaliter & latè pro omnibus disciplinis contemplativis,
sed aliquantò specialius & strictius, pro parte illa Philosophia
theoretica, quæ circa τὰ ἐν τοῖς αἰσθητοῖς ὄντα versatur. Ha-
tenus definitum.

Definitio 4. constat genere & differentia specifica. Ge. 4.
mus Physica statuimus scientiam, eamq; contemplativam;
Quia .n. Physicus rerum naturalium causas atq; principia, affe-
ctionesq; certis rationibus ac causis demonstrat, sequitur quòd
sit sciens, scire .n. ut inquit Philosophus 1. Post, an est rem per
causam cognoscere. Cumq; Physicus hanc scientiam sibi com-
paret, non operationis, siquidem nullum opus ad extra produ-
cit, sed solius cognitionis gratiâ manifestum est, Physicam
esse scientiam. Idem etiam aperte Aristoteles multis in locis
confirmat: Lib. 6. met, cap. 1. expressè ait: Τῆς αἰσθητοῦ Φιλο-
σοφίας θεωρητικῆς, μαθηματικῆς, φυσικῆς, πρακτικῆς. Et lib. 11.
cap. 7. Τῶν γὰρ τῶν ἐπιστημῶν ἡσυχία, φυσικῆς, μαθηματικῆς, καὶ
θεωρητικῆς.

Faceffant igitur, qui Physicæ genus adducunt artem, 5.
dicentes Physicam quidem non esse artem, παρακτικὴν vel ποι-
ητικὴν, sed θεωρητικὴν: Verùm si hoc non est dicere τὸ ἐν πρῶτῳ
& contra fictionem implicare, non video, quid ejusmodi Phi-
losophis dicenda sit contradictio. Nam omnis scientia pro fine
habet contemplationem, Arist. 1. met. cap. 1. quâ partâ qui-
escit, ars verò in cognitione non permanet, sed ulteriùs ten-
dit, ut aliquid agat vel efficiat. Cum itaque Physica inter ge-
nera scientiarum sit, ut apparet ex locis Aristotelis, antea
citatis, malè per artem definitur. Dicunt, Physicam esse ar-
tem prout sumitur pro noticia certorum praeceptorum me-

Quomodo scientia naturalis rectè definiatur ac dividatur?

1. *Atiſſa & Metaphyſica conſequens eſt, ut pedem moveamus ad Phyſicam, quâ ex omnibus ſcientiis nullam vel antiquitate clariorem, vel dignitate ſuperiorem (ſi nempe Theologiam excipias) nullam cognitione jucundiorẽ, nullam deniq; utiliorem pronunciat Bodinus in præfatione Theatri naturæ. Ad hanc enim addiſcendam ſola ſuaviſſima jucunditas & honeſta voluptas, qua ſuos cultores efficit, ſingulos allicere debebat, ut jam neceſſitatem & utilitatem, quam ad ſuperiorum facultatum ſcientiam pleniorẽ conſequendam conſert, ſiccopede prætereamus. Quocirca quid nobiliſſima, utiliſſima & jucundiſſima iſta ſcientia ſit, & quomodo rectè dividatur in præſentia diſquiremus, quod quoniam commodiùs fieri nequit quàm per definitionem; hæc enim ſola quid res ſit, explicat, ad definitionem Phyſicos accedimus: diſiſionem illâ explicatâ, ſtatim ſubjuncturi.*

2. *Definitionem igitur conſtituimus talem. Phyſica eſt ſcientia contemplatrix, tradens perfectam cognitionem corporum naturalium, quatenus talium.*

3. *Definitum eſt Phyſica, quæ vox origine Græca eſt, & deducitur de τὴν φύσιν, quod naturâ ſignificat: Hinc adjectivum eſt, φυσικός, naturalis: ab hoc φυσικόν, ſubintellegeitur, ſcientia naturalis, quòd de rebus naturâ prædictis diſſerat. Eadem ſcientia ab aliis variis inſignitur nominibus. A Cicerone lib. 1. de nat. Deor. Phyſiologia quaſi de natura ſermo nuncupatur: Lib. 2. de divinat. Natura cognitio: Lib. 3. de fin. Naturæ explicatio: Lib. 1. de Orat. Naturæ obſcuritas: Lib. 1. Acad. quaſt. Naturæ deſcriptio: Lib. 1. de Divin. & lib. 1. de nat. Deor. Naturæ ratio nominatur. Aliàs etiam Philoſophia naturalis, quia de rebus natura.*

naturalibus Philosophatur; Philosophia secunda, ad differentiam prima, quæ est Metaphysica, 6. met. cap. 1. Et ars natura, propterea quod eam explicet, indigitari solet. Vssatissima autem est appellatio Physices, quam non sumimus generaliter & latè pro omnibus disciplinis contemplativis, sed aliquantò specialius & strictius, pro parte illa Philosophia theoretica, quæ circa τὰ ἐκ φυσικῶν ὄντα versatur. Hactenus definitum.

Definitio 4. constat genere & differentia specifica. Genus Physicæ statuimus scientiam, eamq; contemplativam: Quia n. Physicus rerum naturalium causas atq; principia, affectionesq; certis rationibus ac causis demonstrat, sequitur quod sit sciens, scire. n. ut inquit Philosophus 1. Post. an est remper causam cognoscere. Cumq; Physicus hanc scientiam sibi compares, non operationis, siquidem nullum opus ad extra producit, sed solius cognitionis gratiā manifestum est, Physicam esse scientiam. Idem etiam apertè Aristoteles multis in locis confirmat: Lib. 6. met. cap. 1. expressè ait: Τῆς αὖτε Φιλοσοφίας θεωρητικῆς, μαθηματικῆς, φυσικῆς, θεωλογικῆς. Et lib. 11. cap. 7. Τῆς γὰρ τῶν ἐπιστημῶν ἑστί, φυσικῆς, μαθηματικῆς, καὶ θεωλογικῆς.

Facessant igitur, qui Physicæ genus adducunt artem, 5. dicentes Physicam quidem non esse artem, παρακτικὴν vel ποιητικὴν, sed θεωρητικὴν: Verum si hoc non est dicere σὺν ῥιζῶν & contra dictionem implicare, non video, quid ejusmodi Philosophis dicenda sit contradictio. Nam omnis scientia pro fine habet contemplationem, Arist. 1. met. cap. 1. quā partā quiescit, ars verò in cognitione non permanet, sed ulterius tendit, ut aliquid agat vel efficiat. Cum itaque Physica inter genera scientiarum sit, ut apparet ex locis Aristotelis, antea citatis, malè per artem definitur. Dicunt, Physicam esse artem prout sumitur pro noticia certorum preceptorum me-

rhodice dispositorum, non verò ut sumitur ab Aristot. 6 Eth.
c. 4. pro habitu efficiendi aliquid cum rectâ ratione. At non
nasti, respectum hunc esse accidentarium; definitionem verò
non debere declarare accidentariam aliquam conditionem
aut respectû aliquem extrinsecè adveniente, sed essentiâ rei &
quidditatem intrinsecam, quæ eam ab alijs omnibus separet
& distinguat; Alias, quot essent rerum respectus, tot etiam
concedende essent definitiones, quod tamen satis falsum est.

6. Abeant & etiam illi, qui physice omnem scientiam
detrabunt, quorum primus fuisse scribitur Heraclitus. Met.
propterea quòd scientia versetur circa res perpetuas, eter-
nas, & semper eodem modo sese habentes: Physica verò circa
corpus naturale, quod creberrimo motui & innumeris muta-
tionibus est obnoxium. Vtrumq; tibi ambabus largior mani-
bus: interim tamen meminisse debebas, physicum non consi-
derare corpora naturalia, ut individua, quæ sunt corrupti-
bilia, & intereunt, sed ut universalia & species, quæ sunt
perpetuæ, & nunquam corrumpuntur: Licet enim indivi-
duum Petri & Pauli, alterius vè alicujus hominis pereat, sem-
per tamen manet homo: Siquidem species, teste Scaligero
exerc. 51. nunquam deficient.

7. Generi & succedit differentia specifica, quam in illis ver-
bis, corporum naturalium, quatenus talium consistere dict-
mus. Cum verò uniuscujusq; scientie speculativæ differentia
à proprio subjecto sumatur, quod unum propriam scientie na-
turam constituit, separatq; ab alijs omnibus, Zab. l. de const.
scientiæ nat. c. 2. non abs re nos facturos arbitramur, si in
investigando physices subjecto paulò accuratius fuerimus in-
tenti; ignorato enim subjecto necesse est cetera ignorari.

8. Triplex & antem præcipuè de eo circumfertur opinio, qua-
rum prima est Thomæ, qui subjectum physica asserit esse Ens
mobile, propterea quòd subjectum nequeat esse corpus mobile.
demon-

demonstraretur enim subjectam in sua scientia, quod facit Aristoteles, dum 6. Phyl. probat, omne mobile esse corpus: Sed hoc dicendum non est, quia subjectam debet esse præcognitum, & in quavis scientia præsupponendum est, iubente Aristotele, 1. post. r. 73. 2. post. r. 42. 2. Phyl. r. 6.

Secunda opinio priorî contraria est Alberti, statuentis 9. rem consideratam in physicis esse corpus mobile: Hujus sententie fundamentum est, quod omnes partes corporis mobiles, nempe materia & forma, in physicis considerentur.

Tertia opinio est Scoti, qui subjectum ponit substantiam naturalem, fundaturq; imprimis in autoritate Aristotelis, qui 1. de Cælo inquit: Physicam versari circa substantiâ.

Sed ut has opiniones non planè rejicimus, omnes enim 11. ad bonum sensum, sano modo acceptæ, reduci possunt: Sic tutius & rectius esse putamus, cum Averr. lib. de cælo & l. 7. comm. cap. 5. Zabarella lib. 2. de nat. scientiæ const. c. 3. Pererio lib. 3. cap. 2. imò cum ipso Aristotele 1. de Cælo; corpus universè sumptum, quod omnia tam cælestia quàm inferiora complectatur, quatenus naturale, hoc est, quatenus habet in seipso naturam, quæ motus & quietis principium definitur, physica subjectum statuere.

Quam sententiam & ratione & autoritate comprobata 12. damus. Ratione sic: Corpori naturali omnes subjecti conditiones (quas vide apud Zab. lib. de trib. & præcog.) competunt. Quod & quid sit corpus naturale ab Arist. in initio naturalis philosophiæ, tanquam totius scientiæ principium præmittitur: Nulli etiam inest, sed toti tractationi physica, tanquàm basis & fundamentum subternitur: Habet præterea sua principia & affectiones, quæ de ipso cognosci possunt, toti q; scientiæ est adequatû, quia nulla est alia scientia, quæ corp. naturale, quatenus naturale, hujusq; principia & accidentia ut talia consideret. Autoritate verò sic: Summus .n. Nature genius & interpres

Aristoteles quest. 2. met. cap. 1. Naturam motus & quietis principium definiuit ejus, in quo inest primò & per se, & non secundum accidens, statim annectit, naturam esse partim materiam, partim formam substantialem, ex quibus tanquam internis principiis corpus naturale constituatur. Et 7. met. cap. 1. ait: *πᾶσαι τῶ φυσικῷ περὶ ματαίαν εἶναι τῶ τὰ ἐχόντων ἐν αὐτοῖς ἀρχὴν κινήσεως καὶ στάσεως*, totam Physici tractationem versari circa ea, quæ in seipsis habent principium motus & quietis.

13. Hac † de definitione dicta sufficiant: postulat ordo, ut ad divisionem nos accingamus. Ad eam quod attinet in eo omnes consentire videntur, duas esse partes principes scientiæ naturalis constituendas: Vnam octo libris *Φυσικῆς ἀκροάσεως*, alteram reliquis libris omnibus subsequenter contineri: sed in modo dividendi non leviter dissentiunt.

14. Alii † dicunt, primam partem physices esse de principiis & communibus accidentibus corporis naturalis, absolvig. octo libris Physica auscultationis: alteram verò esse de ipsis met corporibus naturalibus, comprehendig. sequentibus libris, quorum primus est de Cælo, & ultimus de sanitate & morbo. Quam divisionem recipere non possumus, tum quod tractatio de principiis reipsa sit tractatio de corpore naturalis, tum quia doctrina ordini non convenit, prius de accidentibus, quàm de ipsorum subiecto agere. Quomodo enim accidens rectè cognoscas, nisi prius, cujus rei sit accidens, noveris.

15. Alii † verò Philosophi, Averroës, Zabarella, & nos cum illis veriore amplexi διχοτομίαν dicimus, totam scientiam naturalem, prout ea ab Aristotele conscripta est, dividi in duas partes præcipuas, in communem seu generalem, in qua de corpore naturali, tanquam genere agatur, & partem propriam seu specialem, in qua de singulis corporis naturalis speciebus tractetur. Ratio divisionis est, quia corpus naturale

naturale, quod huius scientiæ subjectum superius probatum
est, commodè & methodicè explicari nequit, nisi & secun-
dum rationem communem, quatenus genus quoddam est la-
tissimè patens, omnesq; species in se comprehendit; & secun-
dum proprias singularum specierum naturas & proprietates
cognoscatur. Quoniam igitur ordo doctrinæ postulat, ut
prius agatur de genere quàm de specie, (Univerſaliora enim
quia cognita faciliora, præmittenda sunt) rectè hac scientiâ
in dictas partes fuit distributa. Cui nostra sententiâ favet
Aristotelis autoritas, quando in initio capitis 7. l. 1. Phys.
inquit: ἐστὶν κατὰ φύσιν τὰ κοινὰ πρῶτον εἰρήναι: ἅτω δὲ ἰ-
διῶν ἰδίᾳ θεωρεῖν: secundum naturam est primum commu-
nia dicere, tū quæ circa quodlibet propria sunt contemplari.
Et lib. 3. cap. 1. ὁσέως ἢ δὲ τῶν ἰδιῶν θεωρεῖται τῆς περὶ τῶν
κοινῶν ἐστὶ: Posterior est de propriis speculatio eâ, quæ de com-
munibus est.

Hac ꝑ de generali & universali totius Physicæ Aristot. 16.
teleæ divisione breviter dicta sufficiant: si quis ordinem &
connexionem singulorum librorum expetat, legat doctum il-
lum Zabarella librum de scientiæ naturalis constitutione.

PROBLEMA IV.

Anatomicum.

Arteria quid sit?

Agrum ꝑ physicum perlustrantes ad partes humani
corporis contemplandas devenimus, è quibus singulis unicam
accuratiùs considerandam eligentes, quid arteria sit in præ-
sentia disquiremus.

Definimus ꝑ arteriam partem corporis similare sper- 2.
maticâ, rotundâ & cavam, duplici tunica fibris intertexta
compactam, ad deducendū spirituosum sanguinem, vitæ
gratiâ à natura dicatam.

Dictam.

3. Dictam & putant anatomici ἀπνεύειν τὰ ἀγγεῖα τὸ ἀναγεῖν, quod est aërem ducere: Vel τὰ ἀγγεῖα τὸ ἀπιδέξαι, attollere, quod sese dilatando attollant: Quam ob causam corpus ejus membransum est, ut pro copia sanguinis contenti vel extendatur vel collabatur.

4. Dicimus & in definitione: 1. Arterias esse partes similes spermaticas, quia omnes partes & inter sese, & toti sunt similes, singulaq; eorum fragmenta eandem cum integris obtinent substantiam. Galenus comm. de nat. human. & 2. de Elem. Laurentius lib. 4. c. 3. Aristot. 1. hist. an. c. 1.

5. II. Vocamus & arteriam rotundam & cavam, ad exprimendam figuram organi, in qua cum venis convenit: Venarum enim ut & arteriarum, sensiles cavitates demonstravit ἀντοψία, ut sanguis, cujus substantia corporea, transmitti possit.

6. III. Duplici tunica fibris intertexta. ut distinguamus arterias à venis. Vena enim simplicem habet tunicam, arteria duplicem, externam & internam, ne videlicet sanguis, quem continet, spirituosus ac spumosus transudet. Externa simplex est & tenuis & plurimos habet villos rectos & quosdam obliquos. Interna quintuplo crassior est quam externa, ita ut arteria venis sextuplo sint crassiores, & multis fibris constat transversis, paucis, obliquis & rectis. Transverse & per latitudinem organi ductæ fibre expulsionis: Rectæ & per longitudinem vasis decurrentes attractionis: Obliquæ, seseq; mutuo interfecantes retentioni inserviunt. Itaq; quoniam arteria sanguinem fervidissimum distribuere, & ad omnes corporis partes transmittere debebat, ut suo officio commodius satisfacere posset, plurimos villos transversos eadem concessit natura.

7. Reliqua & verba definitioni addita potissimum usum arteriarum continent, qui est, sanguinem in sinistro ventriculo cordis, (hoc enim est, origo est arteriarum) elaboratum con-

sincere, distribuere, & cum reliquis partibus tum ad nutritio-
nem, tum ad animalis spiritus generationem communicare.

Arteria ꝑ sinistro cordis thalamo egressa statim in 8.
duos ramos, in ascendentem & descendentem dividitur.
Ascendens primò communicat cordi coronariam, quæ ipsa in
embryone principium arterie venosæ ad pulmones tendentis
constituit. Deinde emittit quoq; 1. intercostalem, quæ ad su-
periores costas lata quatuor vicinos musculos alit: 2. Mam-
mariam, quæ ad mammas ramulos aliquos exiguos spargens
per interiorern sterni partem fertur. 3. Musculam, quæ ri-
vulos quosdam in posticos cervicis musculos emittit. 4. Cer-
vicalem; hæc ad cerebrum ascendens plexum illum, qui Gra-
ecis *Xipoides* dicitur, effingit. 5. Deniq; Carotida ad caput, &
axillares ad brachia disseminat. Ab axillari prodeunt duæ
alia, quarum prior dicitur Thoracica, quæ duplex: anterior
& posterior: illa in anteriores, hæc in posteriores thoracis
musculos descendit: Posterior Basilica, quæ rursus duplex,
Profunda & subcutanea: hujus beneficio pulsus admota ma-
nu, vel ad brachium, vel ad tempora exploramus.

Descendens ꝑ arteria truncus emittit intercostalem ma-
jorem, quæ in octo inferiorum costarum spatia fertur: Phre-
nicam, quæ per diaphragma excurrrens ad Pericardium ra-
mulus spargit, Celiacam, quæ partim in ventriculum, pylo-
rum & omentum, partim in epas, vesiculam felleam & lienem
inseritur: Mesentericam superiorem, quæ in Mesenterij
partem superiorem influit, Renalem seu Emulgentem, quæ in
renes, & spermaticam, quæ in testes implantatur. Mesente-
ricam inferiorem, quæ in Mesenterij partem infimam, Lum-
barem, quæ in vertebrae Lumborum, Et musculam, quæ ad
lumbares transit musculos.

Postea ꝑ dividitur in ramos iliacos: Vterq; quinq; ad 10.
huc surculis abundat, Primus dicitur sacer, propterea quod
ad osis

ad ossis sacri medullam feratur: Secundus Hypogastricus, quia partes hypogastri irrigat; Tertius Umbilicalis, quod ab umbilico emergat, Quartus Epigastricus, quia per Epigastrum musculos excurrit, Quintus Pudendus, quod ad pudenda descendat. Reliqua arteria pars delabitur ad Crura; ibique arteriam illam Cruralem dictam constituit, ab hac prodit arteria Muscula, poplitea, suralis & Tibialis. His, puto, naturam & constitutionem arteriarum satis delineatam esse: fusius & doctius easdem explicatas vide apud Laurentium, Vesali-um & Bauhinum.

PROBLEMA V.

Politicum.

Num ad conjugia requiratur consensus contrahentium?

I. Quidni & requiratur, cum conjugia debeant esse libera, & matrimonia inter invitos contracta planè sint irrita? Solus enim consensus sponsaliorum & nuptiarum pars est essentialis, & causa efficiens, sine qua qui contrahere jubetur, non matrimonium contraxisse, sed in servitium dei usos esse dicendi sunt. Jam sicut liberi in seipsos & invitis parentibus, nisi obædientiæ parentibus debite, illorumque potestati, cui adhuc subjacent, repugnare velint, uxorem ducere nequeunt: De quo Imperator, Oportet, inquit, ut quicumque uxorem ducere voluerit secundum nostras leges, & antiquam consuetudinem parentes, vel alios, quos decet, petat, ut eorum voluntate legitimum fiat conjugium: Sic quoque parentes liberos suos ad conjugia, à quibus abhorrent, ineunda cogere nequeunt, quia omne necessarium & coactum, teste Aristotele, fit cum angustia animi & consequenter est triste: Quod, sæpe facere videmus illos parentes, qui vel ob dotem amplia-

ampliores, vel aliud aliquod commodum liberos suos verbis
& verberibus ad eam ducendam, quam non amant, impellunt:
Qualem verò hac matrimonia sapissimè sortiantur exitum,
experientia quotidiana abunde testatur. Ejusmodi enim ma-
riti aut post dotem acceptam, ut mihi cum Plautino illo in A-
fin. loqui liceat, imperium vendunt, quia femine, quorum
aliis propriam est superbia, si dos accesserit, à viris servitu-
tem exigunt, & in suis divitiis regnare cupiunt; aut, si, ut
aquum est, de suo jure cedere noluerint, Siquidem non ad
parendum, ut femine, sed ad imperandum nati sunt, ejusmo-
di matrimonii contractus plagis & verberibus confirmant.

Sit igitur nobis perpetuò in conspectu exemplum fru- 2.
gi illius servi, de quo lege caput 24. Geneseos, qui ab Abra-
hamo in Mesopotamiam ablegatus, ad querendam Isaac filio
suo uxorem, invenit Rebeccam filiam Bathuelis filij Nachor,
primum omnium à parentibus eam petens, eorum consensum
impetravit, deinde puellæ quoque voluntatem exploravit, neque
eà Isaac invitam & coactam adduxit, quod ejusdem capitis
verbis manifestissimum est, quæ sic habent: Et dixerunt:
Vocemus puellam, & quæramus illius voluntatem; Cumque
vocata venisset, sciscitati sunt, Visne ire cum homine, quæ
respondit, vadam.

Propterea & concludimus in ejusmodi contractibus ni- 3.
hil temerè, nihil inconsulto tentandum, omnia prius dili-
genter pensanda, & ut parentum, sic quoque liberorum vo-
luntatem & consensum explorandum esse, ne cum jam con-
tractus iste in templo per copulationem publicam confirman-
dus est cum illo Terentiano Pamphilo, Andr. act. 1. scen. 1.
Proh Deum atque hominem fidem; quæ hæc contumelia est?
Vxorem decrevit pater mihi dare hodie; Nonne oportuit præ-
scisse me ante? nonne communicatum oportuit? sed conqueri
cogantur. Verum de his satis. Vide Arniseum in Polit. cap. 3. De
marito & uxore.

Προσφώνιον

Α Δ

Doctissimum Dn. Respondentem.

A Nnon à Baccho summo cumulatur honore,
Guttare qui pleno Lesbia vina bibit?
Annon sunt Cereris cum multo scœnore dona,
Qui fractis glebis scindere novit humum?
Vana sed hæc sunt, crede mihi perdulcis amice,
Quæ dat Baccho inops, quæq; dat atra Ceres,
Pluria Pegasides contextaq; fercla ministrant,
Illis, qui egregiis invigilant studiis:
Vitam perpetuam, nervum fontemq; bonorum,
Præclaras laudeis, aurâq; fulva Midæ,
Balthasar ergo tibi, Sophiæ tolerare labores
Qui properas, famam divitiâsq; dabunt,

*L. M. Q. αυτοχιδισι
faciebat*

Georgius König, Archipalatius